



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Corpus Juris Canonici**

**Gregor <XIII., Papst>**

**Coloniae Munatianæ, 1665**

2 Instituit peæsul abbates à grege lectos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62915)

vel ecclesiarum facultatibus nunquam computata fuerant. Si- militer si Abbas vel Episcopus aliqua haberet, qua in ecclesiasti- ca facultatibus nondum sunt adnumerata, exemplo beati Iohannis de illis recedens oblatas vero ecclesie retineat. ¶ Sequitur a er- go aliud exemplum, quo eadem qua oblatas sunt, laudabiliter red- dita monstrantur.

C. XIII. ¶ Non debet ecclesia suscipere, qua silo exheredato sibi esse- runtur.

At enim Augustinus b in sermone 2. de vita clericorum.

¶ Vtunque e vult exheredato filio heredem facere ecclesiam, quærat alterum, qui suscipiat, non Augu- stinum: imo, Deo propitio, nullum inueniet. d Quam laudabile factum sancti & venerandi Episcopi Aurelii Carthaginensis? quomodo implevit os omnium, qui sci- unt, laudibus Dei? Quidam enim cum filios non habe- ret, neque speraret, res suas omnes (retento sibi usufructu) donavit ecclesie. Nati sunt ei filii postea: & reddidit Episcopus nec etiam opinanti illi, que donaverat. In potestate habebat Episcopus non reddere, sed iure fori, non iure poli e.

¶ Eius quod aliquando oblatas iure & laudabiliter redduntur. Ve- rumenim non hoc exemplo recedenti sua reddenda monstrantur. Abiit enim in professione sua vita persistere, aliud a proposito sermone discedere. Si sanctus Aurelius doctus in laicali ha- bitu oblatas reddidit, qua post oblationem filios accepit, non ideo in apostasiam uentibus sua reddenda sunt, quibus usus necessaria subtraherentur, ut uos illi redirent ad ordinem, a quo recesserant. Sed si uos inuicem & perscutoribus iubemus necessaria subministra- re, sicut ab Apostolo f monemus tempus redimere, ut expeditius intrare uacemus: sic ne ecclesia scandalum patiantur, ne discedens in demerita precipietur, ne in perniciem monachorum, aut in- cunctum monasterii occasione suorum exardescat, laudabiliter sibi suas res dicit reddantur, sed auferri sinantur, quam ab illo ista infe- rantur.

CAUSA XVIII.



Vidam Abbas consecratus in Episcopum, prius monasterio multa conuulsi, postea in Episcopatu plura acquisiuit: cui diem fratres successorem quæren- tes, Episcopus loci semet electioni uolebat inferere, ut per ipsam Abbas in monasterio ordinetur: fra- tres renuntiantur.

- 1 Quæritur primo, an monasterium possit petere, que ab Episco- po quaesita sunt, an episcopali ecclesie possit sibi vindicare, qua monasterio fuerunt tradita g.
- 2 Secundo, an per Episcopum Abbas sit eligendus & ordinan- dus, an tantummodo a propriis fratribus sit instituen- dus.

QUESTIO I.

Prima questio terminatur in concilio apud Altheum, in qua sic statutum legitur.

¶ Burchardus lib. 1. cap. 230. citat concilium apud Alth- eum. Regis Conrado Rege: itemq. Ivo part. 5. c. 343. sed exprimit, Al- theum. Item uero part. 24. c. 116. plura de hoc concilio refert his- toricus. Regno Conradi piissimi & Christianissimi Regis quibus congregata est sancta generalis synodus apud Al- theum (al. Altheim) in pago Rhetia, præsentem uidelicet sancti Petri venerabili Episcopo.

a aliter sequatur. b Et serm. 32. al. 33. ad fratres in eremo, & in concil. Aquiligran. cap. 112. c Ivo p. 3. cap. 177. d al- ter uocatur. e aliter uel, f 1. Cor. 7. g al. contra- dita.

C. I. ¶ Qui de monacho Episcopus ordinatur, quod ante consecrationem habuit, monasterio, quod uero post consecrationem acqui- sita propria ecclesie re- linquat.

Statutum a est, & rationabiliter secundum sanctos Pa- tres a synodo confirmatum, ut monachus, quem cano- nica electio a iugo regulari monasticæ professionis absolvit, & sacra ordinatio de monacho Episcopum facit, uelut le- gitimus hæres paternam sibi hereditatem postea iure vin- dicandi potestatem habeat: sed quidquid acquisierat, uel habere uisus fuerat, monasterio relinquat, & Abbatis sui, qui fuerat secundum regulam sancti Benedicti, arbitrio. Postquam enim Episcopus ordinatur, ad altare, ad quod sanctificatur, & titulatur b, secundum sacros canones, quod acquirere poterit, restituit.

QUESTIO II.

Secundam uero questionem terminat auctoritas Toletani concilii 4. c. 50. dicens.

C. I. ¶ Abbates & alia officia per Episco- pos debent institui.

Hoc tantum sibi in monasterio vindicent sacerdotes, quod præcipiunt canones, id est, monachos ad con- uersationem sanctam præmonere, Abbates, aliaque offi- cia instituire, atque extra regulam facta corrigere. Quod si aliquid in monachos canonibus interdictum præsum- pserint, aut usurpare quidpiam de monasterii rebus ten- tauerint, non deest ab illis sententia excommunicatio- nis.

2 ps. Econtra Gregorius scribit Castorio Ariminenf Episcopo.

C. II. ¶ Congregatio monasterii, non Episcopus, aut aliqui extraneorum, Abbatem instituat.

Abbas in monasterio non per Episcopum, aut per ali- quem extraneorum ordinetur: neque ab Episcopo Missa ibi celebretur, ut nulli ecclesie subiciatur.

¶ Huius capituli eadem est sententia ac sequentis, in quo sunt ipsa B. Gregorii uerba. Itaq. hac uideret summa quadam se- quentis: & propterea in aliquot uetus exemplaribus non sunt dis- tincta.

C. III. ¶ De eodem.

Idem eadem Castorio Episcopo, lib. 2. epist. 43. seu cap. 17.

Abbatem cuiuslibet e monasterio non alium, sed quem dignum moribus atque actibus monasticæ disciplinae communi consensu congregatio tota poposcerit, ordi- nari d volumus. Missas autem publicas per Episcopum uel clericos in e monasterio fieri omnimodo prohibe- mus.

1 ¶ Vel clericos] Verba hæc non leguntur apud B. Gre- gorium: omnino, nonnulla uidentur consulto immutata a col- lectore.

C. IV. ¶ Ille debet Abbas institui, quem sua congregatio, & possessionis domi- nus ordinari poposce- rit.

Item Pelagius Papa Melito Subdiaconus

Abbatem f in monasterio illum volumus ordina- ri quem sibi de sua congregatione & monacho- rum electio, & possessionis dominus, & (quod magis obseruandum est) ordo uitæ, ac meritum poposcerit ordi- nari.

a Burchardus l. 1. c. 231. Ivo p. 5. c. 343. b al. intitularur. c aliter eodem.] orig. d al. volumus te ordinare.] orig. e aliter illic.] orig. f Ancl. 7. c. 174. Polyg. l. 3. tit. 15. & l. 17. tit. 33. Pann. l. 3. c. 168. Ivo p. 7. c. 24.



C. V. De libertate monachorum.

Item Gregorius omnibus Episcopis.

Quam sit necessarium monachorum quieti prospicere, &c. Interdicitur igitur in nomine Domini Iesu Christi, & auctoritate beati Petri Principis Apostolorum prohibemus (cujus vice huic ecclesie Romanae praesidemus) ut nullus Episcoporum aut secularium ultra praesumat de rebus, vel chartis 2 monasteriorum, vel de cellulis, vel de villulis, quae ad ea pertinent, quocumque modo, vel qualibet occasione b minuire, vel dolos, vel immisiones, aut violentias aliquas facere. Defuncto vero Abbate cuiusquam e congregationis, non extraneus eligatur d, nisi de eadem congregatione, quem sibi propria voluntate concors fratrum societas elegerit, & qui electus fuerit, sine dolo, vel venalitate aliqua ordinetur. Quod si aptam inter se personam inuenire nequiverint, soletur sibi de aliis monasteriis similiter eligant ordinandum. Pariter autem custodiendum est, ut invito Abbate ad ordinandum e alia monasteria, aut ad ordines sacros, vel clericatus officium tolli exinde monachi non debeant. Nullus 3 monachus sine testimonio & confessione Abbatis sui in ecclesia aliquem locum teneat, vel ad aliquem promoveatur honorem. Hanc ergo scriptorum nostrorum paginam omni in futuro tempore ab omnibus Episcopis firmam b statuimus illibatamque servari, ut & tua 4 ecclesie iuvante Domino, tantummodo sint iure contenti, monasteria ecclesiasticis conditionibus, seu angariis i, vel quibuslibet obsequiis secularibus nullo modo subiaceant. Nullis canonicis iuribus 5 deserviant: sed remotis vexationibus, ac cunctis gravaminibus, divinum opus cum summa animi devotione perficiant.

Caput hoc habetur in decreto concilii Lateranensis, edito a B. Gregorio, pro quiete, ac libertate monachorum: quod extat secundo romano concilio, inter decreta Gregorii primi: ejusq; magnam partem ipsemet refert lib. 7. reg. indist. prima, epist. 18. Mariniano Episcopo Ravennati.

1 ¶ Aut secularium] Absunt ab aliquibus conciliorum editionibus & Grat. manuscriptis exemplaribus.

2 ¶ Chartis] In concilio legitur, custis, sed in epistola, & apud Eusebium, chartis.

3 ¶ Nullus monachus] Hinc usq; ad finem non habentur in epistola, sed in concilio.

4 ¶ Ut & tua ecclesie] In concilio legitur, Et sanctae ecclesiae, iuvante Domino, suo termino, sive iure contenta, &c. In epistola vero 43. lib. 4. (ubi idem ferè scribit Castorio Arminensi Episcopo) hoc modo. Ut & tua ecclesia, iuvante Domino, suo tantummodo sit iure contenta, & monasterium illud &c.

5 ¶ Iuribus] In concilio est, curis, in epistola, canonicave jurisdictionis.

C. VI. Missas publicas in cenobio Episcopi non celebrent, ne aliquod eis gravamen inferant.

Idem Castorio Episcopo Arminensi.

Luminoso k Abbate referente plurimis in monasteriis multa a praesulibus praedicia atque gravamina monachos pertulisse cognovimus. Oportet ergo ut tua i fraternitatis proviso de futura quiete eorum

a In conc. Later. sub Greg. 1. reg. l. 7. indist. 1. ep. 18. Mariniano Episcopo. Poly. l. 3. tit. 17. Anst. l. 5. c. 38. lvo p. 7. c. 17. b al. exquisitio. Pamm. l. 3. c. 181. Poly. l. 4. tit. 29. c al. in iusticia. d abest ab orig. e al. ordinanda. f al. monachorum. g al. vel consensu. Supra, 17. q. 2. l. 4. reg. ep. 45. h al. & quibuscumq; alii firmam. i al. angariis, aut etiam procuratoribus, vel quibuslibet subsidiis, obsequiis. k In eodem conc. lvo p. 7. c. 22. l al. vestra. In conc. ibidem inferius & l. 4. ep. 43.

salubri disponat ordinatione; quatenus conventus illis, in Dei servitio, gratia ipsius suffragante, mente libera perseverent. Missas quoque publicas in cenobiis fieri omnimodo prohibemus: ne in fervorem Dei accessibus, & in eorum receptaculis popularis conventus praebatur occasio. [Vel mulierum fiat illic b introitus.] quia non expedit animabus eorum. Nec audeat ibi cathedram collocare Episcopus i, vel quamlibet potestatem exercere imperandi; nec aliquam ordinationem, quamvis levisimam, faciendi; nisi ab Abbate loci fuerit rogatus: quatenus monachi semper maneat in Abbatum suorum potestate: ut e remotis vexationibus, ac cunctis gravaminibus, divinum opus cum summa devotione animi perficiant.

Libro quarto regesta est epist. 41. Luminoso Abbati, & Castorio Arminensi Episcopo scripta, in quibus legitur quae ad hoc caput pertinent. Propria tamen verba usq; ad verba. Missas, non habentur in epistola illa, sed in concilio, de quo in proximo facimus capite dictum est, exceptis primis verbis, Luminoso Abbate referente. & ex eo nonnulla sunt emendata & addita.

1 ¶ Episcopus] In concilio sequitur, seu quacumque alia dignitate praeditus, aut potestate, vel quamlibet potestatem imperandi, &c.

C. VII. Baptisterium in monasterio non permittitur fieri.

Item Gregorius d. Papa lib. 2. indist. 1. epist. 56. Secundo Episcopo.

Pridem e percipimus, ut de monasterio S. Andreae quod est super Mafcalas, baptisterium propter monachorum molestias f debuisse auferri, atque in eodem loco, quo fontes sunt, altare fundari: cuius rei perfectio hactenus est protracta. Admonemus igitur fraternitatem tuam, ut nullam jam moram post susceptas praesentes literas nostras inferere debeas, sed repleto loco novum fontium, altare ad sacra celebranda mysteria illius ne dilatione aliqua fundetur: quatenus & praedictis monachis opus Dei feceris liceat celebrare, & non de negligentia vestra contra fraternitatem tuam nostrae auctoritatis excitetur.

C. VIII. Cum permissione Episcopi Abbas locum suum deservere potest.

Item ex concilio Moguntino.

Abbas g pro humiliatione, & cum permissione Episcopi, locum suum potest relinquere: tamen eligant sibi fratres Abbatem de ipsis, non autem de extraneis.

3 ps. Ecce in Tolero concilio dicitur, quod sanctae h Abbates, & alia officia instituire debeant. Beatus Gregorius & Pelagius prohibent, dicentes, Abbatem a fratribus suis congregatus eligendum & ordinandum. Quomodo ergo haec tanta diversitas ad concordiam revocabitur? Sed sciendum est, quosdam monachos esse indomita cervicis, & effrenata superbia: quos dum Abbatem ad religionem cogere voluerint, in eorum deservitum consistant, & alium maribus suis convenientem sibi praeservire contendunt: quibus erant illi, qui in necem beati Benedicti consistasse leguntur. Ita huiusmodi constitutum est, ut Abbates, & alia officia per sacerdotes instituantur.

C. IX. Non licet monachus Abbatem pro sua avaritia expellere, aut alios ordinare.

Unde Pelagius Papa scribit Opulenti i de senforti, diacono.

Nullam k potestatem de cetero, nullam licentiam

a ab eo in cenobio. In conc. 1. ab Episcopo. b novum. In conc. 1. ibid. inferius. sup. c. 5. d Antea legobatur, Galasius, c. 1. h. c. l. 4. tit. 34. Anstelm. lib. 5. ca. 48. lvo p. 3. c. 5. f al. in solentia. g Bar. l. 3. c. 36. lvo p. 7. c. 104. h al. Episcopi. i al. Opulenti. k Anstelm. l. 7. c. 23. monachis





monachis relinquimus, pro arbitrio suo aut Abbates expellere, aut sibi alteros ordinare: quia nulla auctoritas remanebit Abbati, si monachorum potestate coepit subiacere: ut de cetero fideliter & studiosè universi, quæ vel ad divini cultus reverentiam, vel ad utilitatem ejusdem monasterii pertinent, Abbatis sollicitudo, ad quem potestas tota pertinere convenit, debeat adimplere.

4 ps. Hinc etiam constitutum est, ut clerici singulorum monasteriorum sint in potestate Episcoporum, ne alicui liceat extra eorum consensum monasteria edificare.

C. X. ¶ Sine consensu Episcopi, monasterium nullus edificet.

Unde in Chalcedonenſi concilio, c. 4. legitur.

Quidam a monachorum habitu utentes, indifferenter per civitates incedunt, nec non & monasteria, & seipſos præſumptione propria commendant. Placuit igitur neminem aut edificare, aut construere monasteria, aut oratori domum sine consensu ipsius civitatis Episcopi. Item c. 5. ¶ Clerici b in parochiis, & in monasteriis, aut martyriis constituti, sub potestate sint ejus, qui in ea est civitate Episcopus, secundum traditionem sanctorum Patrum; nec per præſumptionem recedant a suo Episcopo. ¶ Eos vero qui ausi fuerint rescindere hujusmodi institutionem quocumque modo, vel si noluerint subiacere proprio Episcopo, si quidem fuerint clerici, pro 2 personarum ordinatione subiacent condemnationibus canonum, si vero laici vel monachi fuerint, communiore priventur. Item ¶ Clerici 3, qui pauperum dispositioni, vel e monasteriorum, vel martyriorum præſunt, sub potestate singularum civitatum Episcoporum secundum canonum traditionem perdurent; neque per suam temeritatem Episcopi sui moderationem d declinent. Qui autem hujusmodi dispositionem quolibet modo subvertere ausi fuerint, & Episcopo suo non obedierint, si quidem clerici fuerint, canonice damnationi subiacent, si autem monachi vel laici sunt, a communione suspendantur.

Quoniam verſo hujus capituli, ad verſ. Clerici, primò, est allatum in qua circumferuntur in concilio eorum codicibus, licet apud Ivoem, & in Panormia idem ferè sit sensus, placuit afferri verba hæc, & ipsam interpretationem.

Οι κληρικοί η ἀλλοτρίως τῶν μονῶν ἡσπόντες βίον, τῆς ἐπιτοκίας ἀξιοῦσθαι πῦός. ἐπὶ δὲ δέσπotes τῶν μονῶν καὶ τῶν ἁγίων ἀποζημιῶν. τῶν πικρῶν ἡμετέρας ἀποζημιῶν ἐν ταῖς πόλεσι, ἢ μὴ ἀπὸ τῶν μοναστηρίων ἐκείνων τῶν ἐπιτοκίων. ἐδὲ οὐκ ἔστι μὴδὲνα ἰσοδυναμοῦμεν, μὴ ὁμοῦ τῶν μοναστηρίων ἢ ἀπὸ τῶν αὐτῶν γὰρ μὴ τῶν πόλεων ἐπιτοκίῃ. id est.

Qui verè & sincere monasticam vitam degunt, convenienti honore afficiantur. Verùm quoniam nonnulli speciem monasticam præſerentes, & ecclesias, & civitatis negotia perturbant, in civitatibus indifferenter vagantes, ac præterea monasteria sibi ipsi constituere aggredientes, neminem quidem uspiam edificare, neque construere monasterium, vel oratorium domum præter sententiam Episcopi civitatis.

1 ¶ Prochiis] Sic in nonnullis vetustis codicibus Gratiani, & Vaticanis concilio, & in versione prisca, (ex qua videtur esse hæc versio.) & est vox canonis graeci. In vulgatis autem Gratiani, & ab ipso libro conciliorum est, parochiis.

2 ¶ Pro personarum ordinatione] Sic in eadem prima Ivo p. 7. c. 17. b Ivo p. 6. c. 38. Poly. l. 4. m. 34. c ubi a. ex alia versione. Ivo ibid. c. 39. d al. ordinationem.

scas, sed in canone graeco, & in versione Dionysii exiguum nihil est quod his verbis respondeat.

3 ¶ Item clerici] Est idem quod in proximo superiore paragrapho, sed ex alia versione, quæ non extat in concilio, voluminibus; atq; hanc eandem repetitionem licet animadvertere apud Ivoem p. 9. c. 38. & 39.

C. XI. ¶ Examinetur, ab Episcopo, quæ religioſa femina præponendus est. Qui a religioſis foemina præponendus est, ab Episcopo loci comprobetur. Monasterium quoq; absq; Episcopi permissione nulli incipere aut fundare licet.

C. XII. ¶ Sine permissione Episcopi nullus monasterium præsumat incipere aut fundare. Unde in Agathensi concilio, c. 27. legitur.

DE monachis 1, monasterium novum (nisi Episcopo aut permittente, aut probante) nullus incipere aut fundare præsumat.

1 ¶ De monachis] Absunt ista voces à recentioribus editionibus conciliorum, sed non à vetustioribus, & manuscriptis codicibus, aut Ivoem.

C. XIII. ¶ De eodem. Item ex eodem, b cap. 18. Cellulas novas, aut congregatiunculas 1 monachorum, absq; Episcopi notitia prohibemus institui.

1 ¶ Congregatiunculas] Antea legebatur, congregantium ecclesias. Emendatum est ex perſisq; manuscriptis, & loci indicatu.

C. XIV. ¶ Absq; Episcopi vel Abbatis voluntate nullus monachorum cellulam construere præsumat.

Item ex concilio Aurelianensi primo, c. 24. Nullus monachus congregatione monasterii derelicta, ambitionis & vanitatis e impulsu cellulam construere, sine Episcopi permissione, vel Abbatis sui voluntate præsumat.

5 ps. Item sunt alii, qui pro executione diversarum causarum quolibet admittunt, qui distributionem eorum solvant, & quietem religionis perturbent.

C. XV. ¶ Abbas qui cautus in regimine non fuerit, a proprio Episcopo, & à vicinis Abbatibus a suo arceatur honore.


De quibus in concilio Triburiensi legitur.

SI a quis Abbas cautus in regimine, humilis, castus, misericors, discretus, sobriusque non fuerit, ac divina præcepta verbis & exemplis non ostenderit, ab Episcopo, in cujus territorio consistit, & à vicinis Abbatibus, & cæteris Deum timentibus à suo arceatur honore; etiamsi omnis congregatio, vitis suis consentiens, eum Abbatem habere voluerit.

C. XVI. ¶ In Episcoporum potestate Abbates consistant. Item ex concilio Aurelianensi primo, c. 11.

6 Abbates e pro humilitate religionis in Episcoporum potestate consistant, & si quid extra regulam fecerint, ab Episcopis corrigantur, qui semel 1 in anno in loco, ubi Episcopus elegerit, accepta vocatione conveniant. ¶ Monachi autem Abbatibus omni obedientia & devotione subiacent: Quod si quis per contumaciam extiterit indevotus, aut per loca aliqua vagari, aut peculiare aliquid habere præsumperit, omnia quæ acquisierit, ab Abbatibus auferantur,

a Bur. l. 8. c. 76. Ivo p. 6. c. 94. b Et in Epauensi, cap. 10. Bur. l. 8. c. 34. Ivo p. 3. c. 165. & p. 7. c. 92. Capit. l. 6. c. 133. c al. variat. d Bur. l. 8. c. 96. Ivo p. 7. c. 114. Simile sup. dist. 65. ca. in ordinatione, quod est ex regu. S. Benedicti. & in Capit. l. 9. c. 37. e Bur. l. 8. c. 67. Ivo p. 7. c. 85.





secundum regulam monasterio profutura. Ipsi autem, qui fuerant pervagati, ubi inventi fuerint, cum auxilio Episcopi tanquam fugaces sub custodia revocentur. ¶ Et reum se ille Abbas futurum esse cognoscat, qui in hujusmodi personas a non regulariter animadverterit, vel qui susceperit monachum alienum.

1 ¶ Semel J Sic etiam legitur in concilio impressu, & manuscriptu, & capitularibus. Verum apud Burchardum & Ivoem post versu. corrigantur. est insertum c. non semel. infra ead.

C. XVII. ¶ De eodem. Item ex concilio Arelatensi b.

Monasteria, vel monachorum disciplina ad eum pertineat Episcopum, in cujus sunt territorio constituta.

C. XVIII. ¶ Nullus ministret Abbatibus Episcopalia, qui alicui Episcoporum nolunt subesse.

Item Paschalis Papa II.

Abbatibus, qui neque sub Episcopo, neque sub metropolitano, neque sub primatu, neque sub Patriarcha sunt, nullus prorsus Episcoporum episcopalia qualibet administret. Cum enim se nulli Episcopo omnino subesse profiteantur, consequens est, ut nullus Episcoporum qua sua sunt, eis tanquam extraneis largiatur.

Pro hujusmodi ergo statutum est, ut causa & utilitates monasteriarum per Episcopos disponantur.

C. XIX. ¶ Utilitates monasterii a proprio Episcopo debent disponi.

Unde Gregorius scribit Vitali defensori Sardinie, lib. 7. epist. 63.

Cognovimus e, quod monasteria servorum Dei, vel etiam foeminarum pro suo quisque libitu, & diversarum causarum executione perturbat. Quod omnino non grate suscipimus, tuamque experientiam ex hoc commonemus, ne quemquam usurpare denuo, accepta nostra auctoritate permittas; sed ut Episcopo loci illius, sub cujus moderamine degunt, cura sit eorum causas utilitatesque disponere. Valde enim est incongruum, ut omisso eo alius quilibet eorum se causas admisceat, sed ille eorum vitam competenti, regularique debet moderamine disponere, qui pro commissis eorum animabus compellitur reddere rationem.

7 pars. Pro hujusmodi etiam prohibet beatus Gregorius mulieres passim ad monasterium accedere, & monachorum commatres fieri, scribens Valentino Abbati, libro 3. epist. 40.

C. XX. ¶ Neque commatres sibi facere, neque ad foeminas accedere monachus licet.

Pervenit ad nos, quod in monasterio tuo passim mulieres ascendunt e, & (quod adhuc est gravius) monachos tuos sibi commatres facere, & ex hoc incautam cum eis communionem habere. Ne ergo hac occasione humani generis inimicus sua eos (quod absit) calliditate decipiat, ideo hujus te precepti serie commonemus, ut neque mulieres in monasterio tuo deinceps qualibet occasione permittas ascendere f, neque monachos tuos commatres sibi facere. Nam si hoc denuo aut aures nostras quocumque modo pervenerit, sic te severissime noveris ultioni subdendum, ut emendationis tue qualitate ceteri sine dubio corrigantur.

3 pars. Non solum autem incauta familiaritas aliarum mulierum eis interdicitur, verum etiam a sanctimonialium g habitazione prohibentur.

a aliter personis non regulari animadversione distrinxerint. b aliter Aveltanensi. c Anselm. lib. 7. cap. 124. Poly. l. 3. tit. 3. d Anselm. l. 7. cap. 123. e al. accedant. f al. accedens. g al. monialium.

C. XXI. ¶ Cum sanctimonialibus, monachis habitare non licet.

Unde in VII. synodo, c. 20. legitur.

Diffinimus a minime duplex monasterium fieri quia scandalum id, & offenciculum multis efficitur. Si vero aliqui cum cognatis mundo abrenunciare, & monasticam vitam sectari voluerint, debent quidem viri virorum adire conobium, foeminae vero mulierum ingenti monasterium. In hoc enim placatur Deus. Quae autem haecenus fuerunt b dupla, secundum regulam sancti patris nostri Basilii, & secundum praeceptionem ejus in formentur. Non habitent in uno monasterio monachi & monachae. Adulterium enim intercipit cohabitacionem i, si habeat aditum monachus ad monacham, vel monacha ad monachum secreto singulariter ad collectionem. Non cubet monachus in mulieris monasterio neque singulariter cum monacha convivetur: & quando necessaria vitae a parte virorum ad regulares deferuntur, extra portam hac suscipiat Abbatissa monasterii foeminarum, cum aliqua vetula monacha. Porro si contingat, ut aliquam propinquam suam videre voluerit monachus in praesentia Abbatissae huic confabuletur per modica & compendiosa verba, & in brevi z ab ea discedat.

2 ¶ Cohabitationem] Sic est emendatum ex plerisque manuscriptis Gratiani, & duobus codicibus versione Anastasii, cum tamen haec non effeminis versio. Antea legebatur, cohabitatio. Graecae est, μνηστρα & μεσολαβησει τοι στω διαστησι.

2 ¶ Et in brevi] Haec non sunt in canonum graecorum vetustata editione, sed apud Balsamonem habentur.

C. XXII. ¶ Monachi & monachae in nullo simul cohabitent loco.

In e nullo loco monachos & monachas permititur unum monasterium habitare; sed nec ea, quae duplicia vocant. Et si quod tale est, religiosus Episcopus mulieres quidem in suo loco manere studeat, monachos autem aliud monasterium edificare cogat. Si autem plurima sint talia monasteria, separantur in aliis monasteriis monachae, & in aliis monachi: res autem, quae habent communes, secundum jura eis competentia distribuantur.

¶ Burchardus etiam & Ivo Gregorium citant, & apud quem non nihil habetur ad hanc rem faciem lib. 1. reg. cap. 43. & lib. 1. indist. 2. epist. 39. Verba tamen ipsa leguntur apud Iulianum autographi, novella 123. cap. 43.

C. XXIII. ¶ A monasterio monachorum longius construantur monasteria puellarum.

Item ex concilio Agathensi.

Monasteria puellarum longius a monasteriis monachorum, aut propter insidias diaboli, aut propter obloquutiones hominum collocentur.

C. XXIV. ¶ Puellarum monasteria monachorum praesidio & ministerio regantur.

Item ex concilio Hispanensi 2. c. 77.

In decima a actione communi consensu decrevimus, ut monasteria virginum in provincia Baetica monachorum administratione ac praesidio gubernentur. Tunc enim salubria Christo dicatis virginibus praebemus e, quando eis Patres spirituales eligimus, quorum non solum gubernaculis tueri, sed etiam doctrinis aedificari possint: ea tamen circa monachos cautela servata, ut remoti ab earum familiaritate f, etc.

a Ivo p. 7. c. 25. b aliter sunt. c Apud Iulianum autographi, novella 123. c. 54. Bur. l. 8. c. 65. Ivo par. 7. c. 13. Poly. l. 4. tit. 3. c. 10. p. 3. c. 18. d undecima.] orig. e al. providemus. Bur. lib. 1. cap. 13. Ivo p. 7. c. 71. f al. peculiaritate. ulque





ulque ad vestibulum habeant accedendi familiaritate permit-  
tam. Sed neque Abbatem a, vel eam qui præfici-  
tur, extra eam quæ præst, loqui virginibus Christi ali-  
quid, quod ad institutionem earum pertineat, licebit,  
neque cum ea sola, quæ præst, frequenter eos loqui o-  
portet; sed sub testimonio duarum vel trium sororum:  
ita ut rara sit accessio, & brevis omnino locutio.

**¶** Institutionem ] Sic legitur in vetustis Gratiani codici-  
bus, & in antiquioribus conciliorum editionibus, & duobus codici-  
bus Vaticanis: in recentioribus autem Coloniensibus, quod ad in-  
stitutionem morum non pertineat.

**¶** 9 pars. Prohibentur etiam sanctoriales propria recepta-  
cula habere.

**C. XXVI. ¶** Sanctoriales receptacula seu  
domicilia privata habere non  
licet.

*Unde Innocentius secundus in concilio  
Romæ habito, c. 26. & 27.*

**P**oenitentiam & detestabilem consuetudinem quarun-  
dam mulierum (quæ licet neque secundum regulam  
beati Benedicti, neque Basilii, aut Augustini vivant, san-  
ctoriales tamen vulgò cenferi desiderant) aboleri de-  
cimus. Cum enim iuxta regulam i degentes in cœ-  
nobis, tam in ecclesia, quam in refectorio, atque dor-  
itorio communiter esse debeant, propria sibi ædificant  
receptacula, & privata domicilia, in quibus sub hospi-  
tatis velamine passim hospites, & minus religiosos,  
contra sacros canones, & bonos mores suscipere nulla-  
tenus erubescunt. Quia b ergo omnis, qui malè agit,  
odit lucem, ac per hoc ipse abscondit in iustorum ta-  
bernaculo se opinatur posse latere oculos iudicis cun-  
ctis cernentis, hoc tam inhonestum, detestandumque  
flagitium, ne ulterius fiat omnimodis prohibemus, &  
sub pena anathematis interdiciamus. ¶ Simili e mo-  
do prohibemus, ne sanctoriales simul cum canonicis  
vel monachis in ecclesia in uno choro conveniant ad  
psallendum.

**¶** Regulam ] In vulgatis sequebatur, Si Benedicti, cum  
tamen paulo superius aliarum etiam regularum sit facta mentio.  
Quædam sunt ista voces auctoritate veterum codicum, & i-  
psius concilii, ex quo etiam alia nonnulla sunt emendata.

**¶** 10 pars. Item sunt alii, quos Episcopi prægravantes, salutem  
ipsarum animarum negligunt: quibuslibet d occasione bona  
monasteriorum distrabere cupiunt. Tales erant quidam clerici Ra-  
vennatenses ecclesie, qui simulata religione monasterii cupiebant præ-  
sidi, non ita se servantes ad monasterium habitum, neque remittentes ec-  
clesiasticam auctoritatem.

**C. XXVI. ¶** Monasteria clericorum aut laico-  
rum habitacula fieri non de-  
bent.

*De quibus Gregorius scribit Joanni Ravennati  
Episcopo, lib. 4. epist. 1.*

**P**ervenit ad me, quod in ecclesia fraternitatis tuæ  
aliqua loca dudum monasteriis consecrata; nunc  
habitacula aut clericorum, aut etiam laicorum facta sunt:  
dumque hi, qui sunt in ecclesiis, fingunt se religiose vi-  
vere, monasteriis præponi appetunt; & per eorum vitam  
monasteria destruantur. Nemo enim potest ecclesia-  
sticis officiis, &c. & infra. ¶ Proinde fraternitas tua  
hos, quolibet in loco factum sit, emendare festinet: quia  
ego nullo modo patior, ut sacra loca per clericorum am-  
bulam destruantur.

**C. XXVII. ¶** Qui in sacro ordine sunt constituti,  
in monasteriis nullam habeant po-  
testatem.

*Idem Mariniano Episcopo Ravennati, lib. 6.  
epist. 40. hinc c. 204.*

a al. Abbat, vel ei. b Ioan. 3. c Incent. c. 22. d alii.  
quibuslibet vero. e Ans. l. 5. c. 64. Ivo p. 3. c. 11. Polyc. l. 3. tit. 15.  
sup. 7. q. 1. non.

**V**idum a ad nos multorum relatione pervenerat,  
monasteria in Ravennæ partibus constituta, omni-  
nò clericorum vestrorum dominio prægravari: ita ut  
occasione quasi regiminis ea (quod dici grave est) velut  
in proprietate possideant. Quibus non modicum con-  
dolentes, decessori vestro epistolas misimus, ut hoc per  
omnia emendare debuisset. Sed quoniam vitæ est ter-  
mino citius occupatus, ne hoc onus monasteriis rema-  
neret, fraternitati vestræ hæc eadem nos scripsisse reco-  
limus. Et quia, ut comperimus, in huius rei hæcenus  
correctione cessatum est, hæc ad vos iterum prævidimus  
scripta dirigere. Hortamur ergo, ut omni mora, omni-  
que excusatione subnota, ita monasteria ipsa ab huius-  
modi studeatis gravamine relevare, quatenus nullam de-  
inceps in eis clerici, vel ii qui sunt in sacro ordine con-  
stituti, ob aliud (nisi hortandi i tantummodo causa)  
accedendi habeant licentiam; aut si forte ad præagenda  
sacra Ministerium fuerit invitati mysteria. Sed ne pro cu-  
juslibet monachi aut Abbatis promotione, &c. & infra. b  
¶ Nec illic ulterius habeat potestatem aliquam, ne mo-  
nasteria huius occasionis velamine ea quæ prohibe-  
mus 2 sustinere onera compellantur. Hæc itaq; omnia  
vigilanti cura emendari jam secundò commonita sancti-  
tas vestra non differat; ne si post hæc negligentes vos  
esse (quod non credimus) senserimus, aliter monasterio-  
rum quieti prospicere compellamur. Nam notum vobis  
sit, quia tantæ necessitati servorum Dei congregationem  
amplius subjacere non patimur.

**¶** Hortandi ] In originali impresso & manuscripto legitur,  
orandi. Sed ob glossam & quia in sequenti capite est vox, exhor-  
tandi, non est mutatum. Alia vero sunt emendata.

**¶** 2 ¶ Prohibemus ] In vulgatis sequebatur, simul cum ca-  
nonicis & monachis in ecclesia. que sublata sunt auctoritate  
originali, & duorum Gratiani exemplarium.

**C. XXVIII. ¶** Causa visitandi & exhortandi  
monasterium Episcopus adire  
potest.

*Idem eodem, lib. 7. indict. 1. epist. 18.*

**V**isitandi e exhortandi; gratia ad monasterium,  
ps quoties placuerit, ab Antistite civitatis accedatur:  
sed sic charitatis officium illic Episcopus impleat, ut gra-  
vamen aliquod monasterium non incurrat.

**C. XXIX. ¶** Frequenter Episcopi monasteria vi-  
sitant, & qua corrigenda sunt cor-  
rigant.

*Item ex concilio Aurelianensi.*

**N**on d semel, sed sæpius in anno Episcopi visitent mo-  
nasteria monachorum: & si aliquod corrigendum  
fuerit, corrigatur.

**¶** Hoc caput apud Burchardum & Ivonem est insertum capiti,  
Abbat. supra, ead. ut ibi notatum est: simile quoddam habetur  
in Pamormia ex concilio Rothomagensi, lib. 3. cap. 125.

**¶** 12 pars. Pro talibus, qui animarum curam non habentes, ba-  
na tamen monasteriorum in suos usus convertere cupiebant, statutum  
est, ut monasteria cum suis rebus penitus sint libera à potestate &  
dominio Episcoporum. Quod autem nulli canonicis iuribus mo-  
nasteria dicuntur esse subiecta, non ita intelligendum est, quin ipsi  
Episcopo aliquid nomine eulogia, vel in die dedicationis, vel in na-  
tali e sanctorum, quorum nomine ipsum monasterium dedicationem  
est, debeat offerri.

**C. XXX. ¶** Non debet Episcopus aliquid à mo-  
nasterio exigere, præter conditiones qua dedi-  
cationis tempore constituta  
sunt.

a Polycarp. ibid. Ans. l. 5. cap. 65. b Sup. 16. quest. 1. memo.  
c Ivo part. 7. cap. 14. d Burch. lib. 8. cap. 62. Ivo part. 7. cap. 65.  
e al. materialiu.

